

THESES MEDICAE

DE FEBRE
GENERATIM

QVAS
PRAESIDE

CL. V. D. ANTONIO VARO,
Med. D. & Profefs. pub.

Publicè defendere conabitur

IOHANNES HEINTSCHIVS
Kyricensis

*Ad diem 29. Octobris, Anni Χριστογoviæ
C17. 17. XCVII.*

*In Auditorio majori, hora & loco
consuetis.*



I E N A E
Typis Donati Richtzenhan.



VIRO AMPLISSIMO,
eruditionis laude eximio, rerum
usu, vitæque integritate
clarissimo

Dn. HENRICO LAVRENTIO
REIPUBLICAE GARDELEBIEN-
sis Consuli dignissimo, Affini
ac patrono suo unice
colendo

Hæc de febris themata

*In debita observantia &
gratitudinis monumentum*

Dicat consecratque

Respondens.

Thesis prima.

Πυρετός appellatio deducta est ἀπὸ τοῦ πυρός, hoc est, ab igne: quod vel τὸ εἶναι sit τοῦ πυρετοῦ θερμότητος ἔχειν καπνώδη, hoc est, calorem habere igneum, ut scribit Gale. com. 3. de fracturis t. 8. quin & Hipp. τὸν ὀξεία καὶ μέγαν πυρετὸν πῦρ nominare consuevit 1. Epid. sect. 3. aph. 19. in historia Sileni. Ab eodem fervore Græcorum imitatione Febrim Latini à fervendo appellarunt.

2. Febris qua febris in intemperie simplici calida duntaxat morbus est.

3. Est namq̄ ipsius ὀξεία ἄσθια πρὸ φύσιν θερμότης, quæ ratione cognita, sensu explorata, atq̄ πῦρ ἀπίστων ἰατρῶν consensione communi confirmata est 6. Epid. com. 1. t. 28. 1. de diff. feb. cap. 5.

4. Siccitas non absolute febrim, sed febrim magnæ accidit, nec tam ὑπερξίν & essentiam febris, quàm eius quandam differentiam ab accidente sumptam constituit.

5. Tenuiter in arte, præsertim ea, quæ est de febribus versati videntur, qui ob rigorem & frigus, quæ febrim antecedunt, & quod sæpenumero, ut in lipyria, nullam universa cutis evidentem præ se ferat caliditatem, in profundo incendio visceribus flagrantibus 6. Epid. com. 1. t. 28. & quod frigus simul & calorem Epiala ægrotantes sentiant libro de inæquali intemperie, febrim morbum frigidum constituant.

6. Turpius hallucinantur, qui substantiam febrim affirmant, decepti autoritate Galeni 1. de ratione victus in morbis acutis t. 18. 1. aph. 16. ubi ἰσολογία habet: ἢ δὲ τοῦ πυρετοῦ γένεσις ἐκ τῆς τῆς

ἐμφύτης θερμασίας ἐπὶ τὸ πρῶτον ὄσιν, quæ verba ut intelligunt, ita convertunt, & interpretantur perperam.

7. Quæ definitio in scriptis Galeni sparsim legitur, febris naturam plenissimè explicat. Colligitur verò in hæc verba: πυρετὸς ὄσι δυνερασία θερμὴ, ἢ θερμότης πρὸς φύσιν ἐπιτηκασία καὶ μάλα μὲν ἐν ἄσων ἢ σώματι ὡς ἐκλάπην πλὴν ἐργασίαν. 2. Meth. cap. ult. 8. Meth. cap. I. 1. de diff. feb. cap. 3.

8. Galenicæ definitioni suam aggregarunt, Trallianus lib. 12. cap. 1. Aëtius tetrabibli 2. serm. I. cap. 7. Avicenna lib. 3. fen. 1. tex. 1. cap. 1. Averroës 3. colliget cap. 3. quæ verbis à Galenoparum, re ipsa & sensu nequicquam differunt.

9. Πρὸς φύσιν θερμασία dicitur febris ad differentiam τῆς ἐμφύτης θερμασίας, quæ contrario frigore benè temperata, suavis & tactu conveniens, nihil triste, nihil asperum, nihil mordax præ se ferens: cuius ad igneum, hoc est acrem, insuavem, mordacem & nostrum corrodentem tactum conversio febris ortus est. 1. aph. 14. & 16.

10. Calor natus & febrilis si seorsim & absolute spectentur toto genere, cum unius in alterum sit ἐκτροπή, non differunt.

11. Imò in uno eodemque febricitante unus numero calor febrilis & Nativus est: siquidem ex omnibus illis gradibus caloris naturalis & præter naturalis emergit unus numero calor, qui præter naturalis vocatur.

12. Hinc Averroës loco ante citato calorem febrilem calorem statuit compositum ex calore naturali & extraneo.

13. In

13. In diversis tamen individuis specie utriusque calores recte invicem differre existimantur. Bene enim temperata est caloris universi substantia, benigna & naturae conveniens. Ignea vero ac idcirco hostilis & inconveniens febrilis & adventitij r. aph. 14. & 8. meth. cap. 1.

14. Neque tamen incommode alicubi a Galeno dicitur febrim augeri praeter naturalem, naturalem diminui.

15. Etsi enim unus idemque sit numero calor, quia in recessus fit ab illa $\delta\mu\epsilon\acute{o}\tau\eta$ cum natura animalis recte praeternaturalis dicitur auctus, diminutus naturalis.

16. Non displicet fixum calorem incendi in febre una cum influente, primo tamen influentem, quo accenso vicissim aestuet calor fixus ipsius cordis, rursus transmissio illo per universum corpus aestuat etiam calor fixus omnium partium, ut qui ab influente fovetur.

17. De primo & propinquo febris subiecto doctrinam recipimus Galeni 1. de diff. feb. cap. 3. cui & consentit Avicenna & Averroes citatis locis nimirum $\pi\acute{\omega}\tau\omicron\nu$ febris $\delta\epsilon\kappa\acute{\alpha}\nu\omicron\nu$ esse cor.

18. Cum enim gignatur febris $\kappa\alpha\tau\prime\epsilon\kappa\tau\omicron\pi\eta\nu$ Nativi caloris $\epsilon\pi\iota\tau\omicron\nu\ \omega\upsilon\tau\acute{\omega}\delta\eta$ omnino ut illius fons & domicilium est cor, ita & huius inde nimirum a corde, adeoque a centro per venas & arterias $\alpha\pi\acute{o}\delta\acute{\rho}\omicron\iota\alpha$ fit in universum corpus.

19. Non igitur qualibet praeter naturam immoderata caliditas, quae in proprio foco accensa, statim atque accensa dici febris iure poterit, nisi & cor praeter naturam concalescens sit 1. de diff. feb. cap. 3.

A 3

20. Hinc

20. Hinc immoderata caliditas relicta ab ex-
ercitatione in musculis, nondum ad cor propagato
impressoque calore nihil ultra lassitudinem musculis,
qui primo motu excipiunt, infert. At si à corde vel
ut I. de ratione victus in acutis t. 18. Gal. loquitur
ἐκ τοῦ θώρακος facto principio in totum extensum
corpus fuerit febris nuncupatur lib. de morborum
causis cap. 2.

21. Sed nec tamen quicumque fervor præter na-
turam à corde in corpus univertum effusus febrilis
statim est, nisi idem usque eò immodicè auctus ἰσχυρὸς
ἀκρῆς καὶ ἀνίατος sit ut actiones manifestò lædat.

22. Læditur autem primò, & immediatè quis-
dem τὸν ζῶτικόν, hoc est, firmitas vitalis, quod illa
in febricitantium pulsu & respiratione celeritas, ma-
gnitudo vehementia haud obscure testantur.

23. Inter vitales ceterasque facultates ut officio-
riorum & comodorum ita & malorum vitiorumque prom-
pta & subita communicatio.

24. Et quæ à febre in vitio esse actiones naturales,
argumento sunt mala & viciata cōcoctio, attractio,
expulsio, collapsa appetentia cum extenuatione &
gracilitate totius corporis.

25. Animalitatem denique lædi, turbari phan-
tasiam sentiendi movendique labefactari vires, mini-
mè dubium est; & confirmant apertè illa in sensibus
hebetudo aut falsitas, in motu debilitas & titubatio,
in somno ταραχή aut vigiliarum instantia, quæ ple-
raque febricitantes solent comitari.

CAUSAE. 26. Porro inter febrem efficientes ἡσυχία
χρῆσις vel potissimum diæta locum obtinet Gal. I.
de diff. feb. cap. 2. & 3. lib. de causis morbo-
rum cap. 2.

27. Aër



27. Aer quem & spirando ducimus, & qui nos ambit calidior, nec non admota alia calidiora, alimentorum item & medicamentorum calefacientium liberior usus, occasio gignendis febribus, quod saepenumero sint, cum ratione constat, tum experientia.

28. Ad febrem etiam confert permultum perturbatio animi vehementior, & corporis exercitatio nimia, veluti sunt ira, moeror, timor, lusus, equitatio, luctatio &c.

29. Sed & quae vel excernuntur vel detinentur in procatartichis febrium recte numerantur, excretio videlicet nimia humoris frigidi, intro relicto calidiore cuius acrimonia destituta suo veluti freno inde maiores vires accipit: Idem praestat suppressio effluxus rei calidae.

30. Causa interna sunt τὰ ἐνὸντα, quae intus continentur praeter naturam calefacta, vel ob copiam nimiam vel suppressionem fuliginosarum superfluitatum astrictis aut obstructis meatibus.

31. Proxima & continens causa, quae absque ullo medio febrim efficit, est iam in corde flagrans materia, cui praedictae modo mediatæ nisi coniunctæ sint, febrim non producunt.

32. Iam verò notæ atque signa, quae causarum illarum & ipsius febris demonstrativa sunt, alia mox futuram febrim praesignant, alia praesentem subesse ostendunt, alia denique venturum inde eventum denunciant.

33. Prævia febris signa sunt Hiatus & oscitatio, gravitas capitis, pandiculatio, distentio membrorum omnium, somnolentia, lassitudo corporis, coloris in facie mutatio, partium extremarum, ut
nasæ,

SIGNA

nasi, pedum, manuum refrigeratio, horror, pulsus
varietas, tussicula, nausea: quæ quibus à causis pro-
ficiscantur, ex dictis coniectura & iudicio quivis
consequi facile potest.

34. Præsentem nuntiant febrim Calor acris,
pungens, mordax, inquietudo, pulsus celer, fre-
quens, inæqualis, imbecillitas viriū, de quibus plu-
ribus paulò post in febribus speciatim.

35. Febris universè cum morbus indifferens,
nec planè salubris, nec ad mortem funesta est.

36. Ad curationem nunc pertrahimur: quam
hic missam facimus brevitatis causa: propediem
disputatione sequenti eam subiectam iri in nos re-
cipimus.

Ad Ornatiss. & Doctiss. Dn. Respondentem.

Quis tibi quis laudes HENTSCHII neget optime, vincio
His in palestris Herculem.

Hic capita (horrendum) plus quàm sexcenta subinde
Repullulascunt ocyus.

De febris causa & sede hinc dubitatur & illinc,
Voto nec uno vivitur.

Hoc opus, hic labor est verum tenuisse, nec ultra
Citrave falli aut fallere.

ANTONI - Tu tamen aggrediens opus hoc animosior urges,
VS VARVS Feliciterque perficis,

Per anagr. Perficis, & rectè, VARO sub præside, cuius
Omnes stupent facundiam,

SONVS VT Si res attendis iurabis adesse Galenum,
VRANIA. VRANIAM sed si SONVM.

HEINERI- O si spectaret Vilius ista, probato
CVS LAV- Spectaret hæc cum gaudio,

RENTIVS Fata obstant. Ast HENRICVS LAVRENTIVS ille
RE CHRISTIANVS VEL VENIT

Per anagr. Et supplet, quod credo, vices solitoque Camænam
Favore protegit tuam.

VENI VEL Perge, tuum caprum Coccoque, tuisque patronis
RE CHRI- Magis placebit indies,

STIANVS.

M. Thomas Sagittarius
Stendal. Med. Stud.

F I N I S.

AB

50A $\frac{2}{h, 12}$


ULB Halle 3
003 485 560



Sch

Rest.
Sep./Okt 84 Schuss.







B.I.G.

Farbkarte #13

272

22

S MEDICAE

EBRE

ERATIM

AE S I D E

ANTONIO VARO,
& Profefs. pub.

defendere conabitur

S HEINTSCHIVS
Lyricensis

Febris, Anni Χριστογονιας
17. XCVII.

io majori, hora & loco
consuetis.

E N A E
Donati Richtzenhan.

